…rgius Albrachtus
…ensis
Oclesowicz Math. Pauli Fastigium tiarati
honoris excelsum.

7.

FASTIGIUM
TIARATI HONORIS
EXCELSVM,

Adorandæ Religioni, inconcussæ Fortitudini, & immortali Gloriæ,

AVGVSTÆ DENHOFFIORVM DOMVS,

in Magno meritorum Herede,

CELSISSIMO PRINCIPE,

JLLVSTRISSIMO, & REVERENDISSIMO DOMINO

D. GEORGIO ALBRACHTO COMITE à DENHOFF

S. R. IMPERII PRINCIPE,

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratiâ,

EPISCOPO CRACOVIENSI,

DVCE SEVERIÆ,

Supremo Regni Poloniæ, & Almæ Academiæ Cracoviensis

CANCELLARIO,

ASSVRGENS;

Dum auspicato ingressu, CRACOVIAM Sarmatiæ & Episcopatûs Cracoviensis primariam Sedem, inter festas acclamationes & vota populorum solennia, Desideratissimus ANTISTES ingrederetur; in debitum literatæ observantiæ argumentum.

A

M. MATHIA PAVLO CELEIOWICZ,

In Alma Vniversitate Studij Generalis Cracov: Ph: Doct: & Professore, C.M.V.

Contubernij Sisniani Seniore. S R. M. Secretario.

Academici Heliconis Nomine, immortalitati

CONSIGNATVM.

Talia eſſe crediderim, quæ vel ipſe mundi Parens temperat nutu, ſi quãdo oculos demiſit in terras, & facta mortalium inter divina opera numerare dignatus eſt; quibus nunc per Te liber ſolutusq́;, cœlo tantùm vacat, poſtquàm Te dedit, qui erga hoc hominum genus, vice ſuâ fungereris.

Plinius in Panegyrico Trajani.

FASTIGIUM
TIARATI HONORIS
EXCELSVM.

GEmmeus Tiarati Tui Honoris Splendor, quô in Te, PRINCEPS CELSISSIME intentos vibratosq; oculos perſtringis & eripis, inſolitæ vice magnitudinis, & deſideratæ argumentô felicitatis, in gloriam meritaq; Tua incumbentes animos, pro decore, proq; reverētia Tibi applaudere ſatagentes, allicit, juxtà ac confundit. Inſtauras equidem veteris novæq; pompam felicitatis, cujus utriuſq; ambitu glorioſo ita eruditorum ingenia circumfundis, ut magnitudini meritorum Tuorum ſuccumbentia fatiſcant, ſuaq; tenuitate profiteantur, Trabeatæ Tuæ Purpuræ fulgur Sacrumq; Lituum diviniores entheos ſupergredi. Relabitur de Te meditantibus, priſtina illa in immenſum evecta Illuſtriſſimi Tui Sanguinis Majeſtas, aureo ſuo ſplendore fortunam perſtringens, & virtutis pe-

diſequam abſorbens invidiam; quæ, quanquam Faſces & Purpuras certæ hereditatis vice poſſidens, faſtigio ſuo univerſis eſſet erepta, amoris tamen publici auguſtum Solium inſidebat: porro Tu Ipſe ô PRINCEPS meritorum ſumma encyclopædia & excelſum faſtigium, ita Tuum radiantem vultum communicas, ut totum inter agmina virtutum abſcondas, tantùmq; cum intuentibus nobis peragas, quantùm mundi lux publica vaſti aureus Hyperion, inter pendentia nubila purpureas rotas impellens, & rariore felicitate intuentibus ſeſe aperiens. Subſternit ſe Tibi Sacratiore Pedo Tuo regendus, omnem Sarmatiam ſpectans, ornans, moderanſq; Vavellus, & magno excelſæ Tuæ dignitatis incremento tumeſcens, jam inter ſidera altum condere verticem, jam terris eripi, jam Te Dijs miſcere Superis, ſuumq; tergeminum Coronæ Decus in pretioſi Capitis Coronamentum ſacrare videtur. Ita Te undiquaq; acclamãtium turbæ prenſant, ſectantur, circũq; ambiunt; ut ſolicitis & eam felicitatẽ præſtolantibus oculis ereptus, ad Sacram Tuam Exedrã, velut brachijs plaudentium & eviſceratorum populorũ illatus progrediare. Primas attollit voces adſtatq; proximiùs fida Ramnuſia, poſt immenſam perenna-

turæ

turæ DAMBSCIORVM PINI jacturã, post sinuosam & ipsi cœlo cõformẽ MAŁACHOWSCIORVM FASCIAM, se CAPVT Illustre Coronis Tiarisq; splendidum, pro Sacratæ Ecclesiæ zelo & incolumitate excubaturum sufficisse profitens: sed urgent truduntq; clamosam immenso densatæ agmine Tuæ ô PRINCEPS virtutes, opusq; cœlo sacratum mille Camœnis dicendum jactanti Deæ eripientes, effusis Regni Ordinibus, pio & plaudenti Clero, ovãti Regni Metropoli, imò toti Sarmatiæ prædicandum consecrant.

Progrederis raro nobis & inusitato triũpho conspicuus ô PRINCEPS! ecce Rex Delius, Regina Calliope, & cætera turba Sororum certatim Tibi applaudentes concordi encomiorũ votorumq; pro Te cœlis illatorum concentu omnem æthera complentes, densa sua multitudine Te nobis obumbrant, ut solicitè in id intentis difficilè appareas. Grande itaq; seculorum negotium, enitentium animorum irritamentum, & stimulus ingens, omnium attonitus stupor, & profunda admiratio, inter plaudentium turbas absorptus, triumphi Tui magnitudinem nonnisi ex circumstantium agminibus, ex tripudiantium concordibus votis metiri permittis;

tantò magìs cuiqȝ pusillo formidabilis, quantò frequentiore Te prædicantium Corona cinctus in Præsulei Honoris geminato Fastigio emines: ut non inconsulta celeritate numerosa celsi Numina Heliconis augustum hunc Tuum triumphum anteirent. Is vehemens ardor & studium constans, meæ quoqȝ tenuitatem Clius invaserat, ut tantæ lætitiam solēnitatis fideli suo comitatu auxisset; sed se Tibi sive sociam, sive comitem adjungere verebatur, ne blandiores concētus agresti sua arundine confundens festos Tuos solennis pompæ honores temeraret. Consedit itaqȝ ad labētis littora Istulæ, & sola in margine relicta, inter tædij sui nubila Te Solem conspiciens, præ ingentis magnitudine lætitiæ, oblita incomptæ inconditæqȝ faciei, oblita rudis & inadūbratæ Orationis ad Tuos ô PRINCEPS! ingredientis pedes utraqȝ pennâ advolat, nisûsqȝ sui audacioris veniam deprecatur, quòd excelsum istud Præsulei Tui Honoris Fastigiū contingat. Celsior Tu fastigio omni ô PRINCEPS! omnem fortunam proculcans, excelsi Tui Honoris excelsum Fastigium, Tuorum utiqȝ meritorum grāde negotium occupans, istum quoqȝ fatiscentis Musæ sudorem non despicies; quæ inter desideratissimi Tui ingreſsûs solennia, non

sepiam,

ſepiam, non ebur, aut ſplendentem cryſtallum, ſed qualemqualem exiguum humorem Tibi attulit, hoc pro more plaudentium agens, ut quæ ad manũ fuere, in certum lætitiæ & gratulationis argumentum effunderet. Pallentis certè iſtud artificium chartæ, & naturâ ſuâ, & Muſæ tenuitate obliterari facilè potens, Tuarum duntaxat quas geſſiſti magnitudini rerum innixum, facilè in immortalitatem ibit; dum, quantus qualiſq; in hoc Tuo Tiarati Honoris Faſtigio Nobis emineas, æternus Orbi fuerit interpres.

Fateor ô PRINCEPS! factorum Majeſtatem Tuorum, & præſentis gloriã pompæ, hoc unico conſtare, quod ſui parem laudatorem nõ habent; quòd multorum calamos, ora & voces ad ſe trahant, ſed tenues unicuiq; laudationis modos relinquant; ut, qui eas dicere intendunt, tangant tantũmodò indicentq;, non extendant, non celebrent; & ingenuo Muſarum ſuarũ pudore explicent, tanquam ſacras, cultu, non elogio appretiari. Appares Nobis, non triſte aliquod fatalibus tædis formidabile Martis aſtrum ſanguinea cruentum chlamyde, amiſſis Regnis, exules Saturnos, claudoſq; Vulcanos, & immanis turbam averni ſociam ducens; ſed planeta princeps, ſerenum effundens lumen, aureo ra-

diorum ſplendore orbem exhilarans, & in effuſa gratitudinis profundæ vota excitans. Exoriris, priſtinas, votis pro bono Principe factis conſumptas, & præſentes, pro diuturnis juxtà ac fortunatis Tuis ſucceſſibus conceptas ſpes confundens; is Nobis DEI Vicarius immenſo cœlo deſtinatus, qui Diœceſis Caput, & validus Atlas, res ſacras moderari & in altum tollere ſufficis.

Fateor, obſcuram hanc artificis Muſæ facundiam gloriæ Tuæ accurrētem, in ipſo encomij acceſſu trepidare, nè ad altum Tuum evolans Faſtigium, Icario evētu audacioris auſus pænas expendat; idcirco, uſitata formidantibus conſuetudine, ut non ſummam vel finem laudationis Tuæ, ſed gradum attingat, gradatim, è prolixo Majorum veſtigio Tuorum, ad augem Virtutis, Meritorum, Honoriſq; Tui accedit. Id ſibi totiq; Orbi eveniſſe arbitratur, quod diuturnô languidæ noctis faſtidiô ſerenum expectantibus ſolē, qui gratos errantis lunæ ignes, futuræ ſuæ felicitatis auſpicia ſalutant: en ecce Alti Heroum Sanguinis, Divûm Generis Principe Sarmatici populi Domo educti, Auguſtæ Proſapiæ Tuæ ſublimem Regiam ingreſſa, inter illuſtres priſcæ Gentis Tuæ Ceras & pictas Imagines inambu-

ambulans,longœvæ materiem laudationis condiſcit, & ſeræ memorandos poſteritati colligit characteres. Quippe, Tuæ iſtius res integra ſolennitatis non ex lubricæ ſupercilio fortunæ propendet, neq; novam Domi Tuæ felicitatis ſcenam inſtaurat, ſed priſci temporis gloriam, Majoribus Tuis uſitatiſſimum frequenſq; decus, Mitram Ducalem, gemmatumq; Pontificalem Apicem præſentat. Illis tantummodò novum & inſolente faſtu tumeſcens iſtud adornatur theatrū, quibus abhinc nulla gens alia, nulla temporum ætas, reſerato Virtutis oſtio, ſimile quidpiam gratulata; ſed ſine certo atq; patente veſtigio, ipſi per virium fortitudinem, & non raro per ſolennem frontis pudorem, ad verum altumq; decus nitentes, fortunæ non virtutis manibus in ſublimi locantur; & unica ſua eminentiâ totius temporis hiſtoriã claudunt. Frequentiùs iſtos Marios, Ventidios, Cincinnatoſve, velut inquilinos ſuos, ad Sceptra, Faſces, & Dictaturas fortuna evexit; quos demum felicitate ſua turgentes, ultra ſortem gradumq; naturæ ſeſe efferentes, exilijs, oblivijſq; mulctavit, tutum & tranquillum mortalibus præſidium in ſola virtute ſitum eſſe commonſtrans. Inſanam certè perfidamq; Præneſtinam hanc Deam vetus turba va-

ba Vatum loquacibus calamis perſtrinxit, ſed eam quandoq; favoribus ſuis increſcentes animos prudenter eruditèq; caſtigantem, ingenioſæ ſociam Minervæ credidiſſet. Veneramur Nos cœleſte Numen, quòd ſolicitam quantumvìs de rebus aliorum Deam hanc leviſſimam PRINCEPS CELSISSIME intra meritorũ penetralia Tuorũ ita admiſeris, ut Faſtigij Tui præſentis, non architecta, ſed miniſtra, & fida fuerit ancillatrix. Quippe ſuis omnino ſucceſſibus labantem, caſſam luminibus, in altum evecta Majorum virtus Tuorum, Tuq; Ipſe, ſerenitate Tua diſpungeres, diſijcereſq;; & ut rerum inconſtantia ſuarum illi eſſet, juberes, commoneres.

In Te nimirum unum congeſta ſunt pulchra omnia, omnia magnifica, excelſa atq; ſtupenda; quorum tamen ingenti copiâ ita civilem propẽſumq; animum non exuiſti, ut, quanquam cœlo delibatam Tuam Antiſtitis formam, & novi in templo Hoſpitis præſentiam avaris oculis univerſi perquirimus, grato ſupercilij pondere, æquè ut antè placido fulgore luminum permoti, præſente hac Tiarati Hõris geminata auge nihil Tibi acceſſiſſe teſtemur. Martialium quippe virorum maſculæq; virtutis cavũ ebur, effuſam

Sarmatiam, in Tuorũ theatrũ meritorum abijsse prisci stupuêre Annales; dũ ab Hispanicis, Arragonicis, Portugalliæ, Castiliæq; Solijs, infractæ istud Symbolũ fortitudinis APER Tuus fulmineus, in Ejus Lauruũ Palmarumq; feraces Cãpos ingressus, eximia validi sui argumẽta roboris, non interrupta provecti ævi serie demonstrans, inter superba trophœa, triũphales arcus, & exuvias nobiles inambulans, spumante suo ore, sæva inclamantes exoptantesq; bella Heroas, Magnos effusorum, & desolatis plerumq; arvis nostris incubantium exercituum horrida Flagella, Viros utiq;, ferreos in hostem, propensissimos in Patriam, accendebat. Nec illi uno de fonte haustus ridebant, nec tantùm ad limina amantissimæ Matris Sarmatiæ stare, vigilare, fremere, dulce fuit; sed inter tranquillæ pacis oleas exspatiari, potente, juxtà ac maturo consilio consũmatos Catones ministrare, Libero sors non altera Apro exstitit. Equidem, non plùs ferox, quàm mitis & constans; eodem aureæ Libertatis vindicias, atq; lene tacitumq; consilium, dum res, seu aspera, seu mansueta deposcit, pretio censet.

Istic sanè, PRINCEPS! silendus nè mihi an scribẽdus occurras? planè non cõstitui; utrinq;

 discri-

discrimen & periculum expectans. Silere Tuã istam excelsi Honoris solennitatem, & festis nõ interesse acclamationibus, triste ingratitudinis piaculum; de tanto Virtutum meritorumq; Tuorum numero velle scribere, ingenij nimiùm esset confidentis; cùm tam insigni de Te Majoribusq; Tuis scribendi argumento, & rerum magnitudini pro dignitate expoliendæ, Tulliorum penna fatisceret. Satìs proinde fuerit inconditam Orationem ad hoc deflectere, ut ad tantam Regum Majestatem trepidantiùs accedens, illam, tanquam aliquod Numinis simulacrum, de via duntaxat, aut à limine Fani veneretur, tantùmq; Tuo ô PRINCEPS! Genio libet, non sacrificet: hoc est; quæ dicendo consequi non posset, tectum involutũq; taciturnitatis velô relinquat. Quos Regni hujus amplissima cura, & rerum copia gestarũ intimiùs torsit, pressitq;, ijs, ex professo, rem satìs clamosam, laudabilẽq;, calamos & linguas hominum implentem, superantem; non tam voluminibus, quàm cœlo cõtinendam, longi Tui Sanguinis seriem linquendo, è vestigio duntaxat, quæ ex Tuarum postliminio plantarum legere possum, benè memori orbi explico.

Regum & Regnorum compendiosa Nobis

histo-

historia ades, de qua, pudica Clio Europæ Annales legere posset, ni Tuam ô PRINCEPS! in laudatores indignationem formidaret; quâ cunctis profiteris, quicquid gemmeus laborantium Musarum sudor in Tui quantamquantam venerationem effundere satagit, infra Te ipsum esse. Quippe Avitæ Tuæ incunabula Stirpis, vasta sunt quatuor amplitudo Regnorum; quæ tum demum antehac similis expers fortitudinis Orbis, in priscis Tuis Aborigenibus adoravit, cùm Arragonia tota, funereis Gradivi facibus, ANFERHORBS Hispaniæ Rege cruentam Bellonam in sæva Regni funera impellente & bellũ indicente, esset arsura. Formidabilis hæc flamma, territæ Genti minore exitio fuisset; ni invida trucis Lacheseos dextera, cœlum horrido suo murmure misturos conflictus coërciturum Regem Regno sustulisset, Reginamq; Arragoniæ VERRONAM magnum muliebris pudicitiæ decus, animo ultra sexum præstantiore, in cruentam Martis aciem vocâsset. Infelicior eventu quàm virtute Bellatrix illa Artemisia, quanquam procellosa nube, & tot infusorum in suos fines hostium immensis agminibus impavida, Majestate & animo Regina in aciem descẽdit; sed Prænestinæ fortè indignatione Deæ,

 sexûs

sexûs imbecillitati ancillari indignantis; acerrimo hostium illapsu & densis tumultibus absorpta, ferventes in prælia suorum animas, ferreo satìs die in gladijs amisit, Orbemq; docuit, imbelli sexui, lacrymas non sanguinē fundere, proq; triumphis palmaribus, flectere cœlos, non triūphos canere, necessum esse.

Iam ille dies ortu ipso suo feralis, Regno Reginæq;, expensis ereptisq; copijs, absumpto exercitu fata accelerâsset, ni, tam frementibus malis infortunatum Solum premētibus, propitiantis cœli benignitas invictum Heroa DENHOFFIVM arcana sua destinatione immisisset; cujus festinatione subita, & propter atrocis impendētiam periculi ægrè tumultuarièq; coacta populi agmina, per densa avia, opemq; libertatemq; Reginæ, atroci vindicias ignominiæ latura, veluti ventis acti alites advolâssent. Immane satìs crudumq; tyrannidis artificium, in imbellem naturam sævientium fuit, qui præter atrocem exercitûs Arragonici lanienam, præter acervata decolatorum corpora, nobilemq; Sanguinem profusum; exemplū quoq; invicti nec temerarij pectoris, necessitate, non audacia in prælium vocatam HEROINAM, captam mancipatamq;, feris & immanibus belluis, inter solicita nemora

saltusq;

ſaltuſq; , denſatos expoſuêre. Vindex invictæ fortitudinis Regaliſq; cõtumeliæ ancipite ferro DENHOFFIVS extitit; quando præcipite rabie ſpumoſum aprum vitæ Imperatricis advolantem, potentis ictu dexteræ profligavit, Captivæ, Regalis Throni delicias, & deſperatam deploratamq; vitam reſtituit.

At verò Virorum fortiſſimis, qui naturam Herculis induunt, unica victoriâ triumphus nõ paratur, neq; unica Lauru conſtat: ita illi Deorum minacium Generi DENHOFFIO, Reginam periculo abſolvere non ſuffecit; ſed hoſtiles cuneos inſecutus, per cæſa ovantium Hiſpanorum colla, fumantia ſanguine arva, per truncatorum cumulos, & gemens acerbis vulneribus ſolum ad Solium Triumphumq; viam ſibi aperuit. Idem tunc, & ea lætitiâ expreſſus clamor cœlum impleverat altum, qui victoriam excepit: quo gaudio triumphales Laurus felix exercitus legit, iſtius incremento majore & votis ſolennibus quaterni Diadematis, HISPANICI, ARRAGONICI, PORTUGALLIÆ, CASTILIÆQUE glorioſum heredem DENHOFFIVM acclamavit. Fortunatum ſanè auguſtumq; tanti fuit Caput Herois, qui quatuor Coronas geſtans, victorum & Ovantium ſceptra una dexterâ tor-

 ſit,

ſit, & magno Fortitudinis ſuæ merito unicum reputans impar Diadema, quaternionem Imperiorum in unum collegit.

Ingens certè profiteor iſtud gloriæ felicitatiſq; argumentum; ſed illud umbram tenuem gradumq; Solennis Honoris interpretari cogor. Gemmatis triumphalibuſq; cinctum caput exporrigere Coronis, lucentes auro Infulas cenſere, Principum Mitras nivea fronte laxare, magnifici feſtiva pompa Honoris & ingens Gloriæ apparatus eſt; ſed Vicariâ in terris poteſtate DEI, eximia hæc mundi decora indulgere, & negare; propagare, & minuere; cœlorũ munus & æſtimationem judicamus. Tantus nobis cordibus populorum inferris ô PRINCEPS! quantum creſcere vix quiſquam auderet, cui triumphale FRANCONIÆ Oſtrum, tremuliq; Illius ſplẽdoris fulgor, tanquam luminibus caſſo lateret. Plauſus equidem hodierni Tui negotium, vicinus Intelligentijs Faſtigij Apex eſt; in quo ſupra Regum Diademata & Principum Mitras, gemina Summi PONTIFICATVS Tiara, ſtellatum ſanè Divinæ providẽtiæ & exquiſitæ artis Magiſterium fulgurat.

Progenies & Stirps beatior Principũ FRANCONIÆ exiſtens, obæratum hunc Tuorum

labori.

laboribus Pontificium Honorem esse testaris; cùm hac de Gente ortum summum Christi in terris Vicarium NICOLAVM II. Orbis Lumẽ & Ecclesiæ Atlantem ex Te Ipso memoramus. Hinc, quantus qualisve in hac nobis solennis pompa Triumphi appareas, ne clariora quoq; ingenia conijciunt; cùm luminis magnitudine perstringuntur. Rapitur alta de Te meditantium cogitatio, & cœlo in altissimo fixa ALEXANDRVM II. miraculorum & sanctitatis admirabilem Gloriam, immũdarum Averni larvarum rigentem Terrorem, contagiorum salutarem Medelam, quæ dulcibus illis fugantur mitiganturq; lymphis, quibus sacratas manus Sacras Hostias immolaturus abluebat, admiratur.

Bene profectò feliciterq; mea me admiratio linquit, cur Tu Tuam sanè augustam Speciem & Flaminis formam, Deorũ singulare munus, in quod totum sese pulcherrimarum agmen virtutum congessit, ita immutata vice explicas, ut nihil solenne, sed tritum & peculiare gerere videaris? cùm reminiscor nihil Te insolitum inusitatumq; à fortuna accepisse, nec Te novum tantæ pompæ Hospitem accedere, nec animo insolentem, Pedum aut spes inopinatas tanquam in-

ſperata aſſecutum, complecti; nec perſonam quidem niſi titulum immutare. Excelſi Faſtigij Tui præſens Apex, antequam fieres jam antè celſiſſimus, Tecum natus, Patrimonium Tuum non decus Tibi eſt; jam meritus, antequam Tu, & Orbem ſalutare, & mereri potuiſſes; qui laboris ſudoriſꝗ Aborigenum impendio Tuorum ſiſtens, duntaxat Te admonet, ut ad quæ natus es, ſublimia contendas. Non enim multorum conſuetudine in iſto gloriæ theatro reſplendes, ut ſubitò visū eripias, reſtituaſꝗ; terreas animos, & tranquilles; ut illi aſſolent, qui inter nubium opaca nati, motu inſolito eliſi, fulgurant tantùm, ſcintillant & perſtringunt; non lucent lumine ijs cognato, qui inter negotiorum maxima veluti ſoles nativum ſplendorem retinendo, non ignobiles, non ægras palpebras attollunt. Deſerit tales Darios in ipſo aditu honoris & novitate fortunæ vetus memoria ſui, atꝗ ita contendunt, ut in re ponderis magni, quam æſtimare illi duntaxat nôrunt, qui ſupra dignitatem evecti, illius Arbitri & Diſtributores ſunt; inſolentiores, trepident, feſtinent, rapiantur & hæreant; bene conſcij, veteres Genios veluti umbras corporibus eorum inſtare. Tibi pridem in ſinu Honoris nato educatoꝗ, inter ſublimes Thronos

apud Orbem censorem apparenti, non celsum honorem ambire aut deposcere, sed tanquam familiare negotium tractare solito, semper in tota vita inferri, triumphare erat. Prodit Te tamen indicatq; ô PRINCEPS solennis Tui istius ingressûs ministra Religio, quam ante Te ovantē gestientēq; cernentes, Te Ipsum interpretamur, cujus Illustrissima Antecessorum Nomina, cœlesti Metamorphosi, portenta naturæ in Creatoris effigiem, belluas, in homines vertebant; dū ex Franconia in Livoniam Avitæ Tuæ Domûs Decus illustre, MEINHARDVS primus Livonum Apostolus, tranferens errantis millia populi, Pastoris vice in Christi ovile cogendo, Annales Gentis Illius in Tuam Historiam vertit.

Iam sanè ô PRINCEPS! huc sese aggerare coguntur, magni & constantes eorum sensus animorum, qui ex Tripode sapientes, oracula promunt; profiteriq;, verecūdiâ Musarum potiùs quàm calamis res Tuas constare, quibus cogitandis, Tu ipse sufficis, & immortalitas. Si è Capite Tuo Gentilitio suspensum Sagum puniceo Tuorum sanguine rutilans attonitâ palpebrâ intuemur; grande nobis, magnorum in Patriam Orbemq; Christianum meritorum argumentum nascitur, ex quo, Bellatorum catalo-

gus & Ducum immensa series erumpens, sociã Religioni Fortitudinem, ILLVSTRISSIMÆ DOMVS TVÆ decus alterũ producit. Neq; tantummodò belligeri ostia Iani in Portas Tibi triumphales assurgunt, sed Pacis tranquillæ Numen, frondentes oleæ ramos in triumphorũ singulare Coronamentum componit. Ambiguũ est, Togam ne, an Sagum? atrox belli tonitruũ, an grata silentia Pacis vehementi stupore perculsi mirari debeamus? in Magno illo, Fortitudinis Exemplo, pacis Arbitro, animi infracti immotiq; Symbolo OTTONE DENHOFFIO Derpatensi Palatino, qui cæcas noctium tenebras & lucentes soles in armis consumens, invicta fortitudine Heros, Fidei & Patriæ Tutela; donec tenerior ætas viriles artus firmaret, totus in Martis negotia flagrans, ubi ad Orbis censurã magnorum nutrimento consiliorum crevisset, ultra nomina Catonũ censendus, gratæ Patriæ cum Livonia componendæ negotium, & sumpsit, & maturavit. Vnionem Illum credere cogimur, non concharum ex rore matutino partũ, non profundo æquoris tectum, sed Alti Beneficium Numinis; Cui ros cœlestis, puritas & elegantia animi; candor, ex ebore mentis; ex authoritate põdus; ex Majestate Regum, imò ex

se

ſe ipſo æſtimatio nata, felicem Nobis genuit unionem. Neq; Ipſe totam gloriæ hujus molem in ſuum tantummodo nomen deduxit, more modoq; illorum, qui alijs ad celſas Honoris ædes iter præcludendo, in id totis incũbunt viribus, ut ſoli veluti ſoles apparẽdo, imæ adjutorio terræ, ad offenſam animi exiguam, nubibus iracundiæ velati, crepent, tonent, fulminent, & ex alto virtutis, ſuæ fortitudinis æmulos Heroas, ſeu alieno ſub tecto natos, ſeu ab eadem Lucina faſciatos deijciant: gaviſus Ille paris Heròé fortitudinis, germano ILLVSTRISSIMÆ DOMVS Splendore, Caſtoriſq; vice, Pollucem adamavit THEODORVM DENHOFFIVM Vendenſem Palatinum. Hic quantâ qualiq; Gente deſcenderet, quàm æqui & boni amantiſſimus eſſet, exemplo docens memorabili, denſam illam, ſeculis Sarmatiæ incubantem locuſtam, coacta congeſtaq; Crucigerorum agmina, indomita fortitudine, frequenti felicium proſperitate eventuum afflixit fugavitq;, imò in Livoniæ viſcera liberè licentioſèq; graſſantem exegit, expulit, eliminavit.

Prælijs nunquam ambiguam, bellis ſemper invictam, quot hoſtes, tot victorias, quà domi, quà foris, & ſub peregrinis ſolibus cenſentem

Proſapiam Heroas, ſemper ardua & confrago-ſa bellorum amantes, non tyrocinia Martis ſed maturas victorias à cunis etiam in pectoribus maſculis coquentes, edere, & educare, vel ex hoc equi Symbolo Trojani, Divûm an Regum Genere, ILLVSTRISSIMA DOMO TVA conſtat. Non ſocius miniſterq; armorum, non amoris, ſed furoris faber; acervis truncatorum corporum triſtis Sueticus exercitus, ab HENRICO DENHOFFIO Capitaneo Dineburgenſi multis cladibus affectus, columnas Illi ad immortalitatem & perenne nominis decus excidit; cujus tamen in Patriam amor extingui aliter non potuit, quàm fuſo pro Illius integritate cruore; quô Sarmaticam fortitudinem generosè ſubſcribens, multarum capax Coronarum Caput, Laureatus Victor, inter laureas compoſuit.

Nec tantùm Regna defendere, fines Patrios tueri & fortiter ampliare, DENHOFFII volupe habēt, ſed ſuo Sceptra arbitrio moderari, Coronas componere, non leve illis fortunæ alterius donū, naturæ beneficio ingeſtum. Tantum ijs tamq; capacem genitrix rerum ſpiritum indidit, ut in ſublime tendentes, ubi ſeſe innatâ verecundiâ infra magnitudinem demittunt. vel in-

viti

viti coactiq; , magnifico sui ambitu spiritûs excelsum Fastigium efficiant, exprimantvè, nihil virtuti suæ vulgare, nihil cõmune quotidianumvè convenire.

Quid quæso Arbiter Ille Moderatorq; Regnorum ERNESTVS DENHOFF Palatinus Parnaviensis? quàm infractæ imago fortitudinis, Statera Iustitiæ, pacis belliq; ponderans causas? cujus Majestate consilij tot Gẽtium populorumq; negotia constando, felices rerum eventus sortita sunt, utpote; qui Fecialis perpetuo functus officio, Legationum suarum momenta feliciter expediens, & odia Regnorum componere potens erat, & atrocibus hostes miscere cõfunderéq; prælijs, benè noverat. Atrox illa Oceani tempestas, quam, non ventorum Pater Æolus, sed SVDERMANVS CAROLVS Svecorum Rex excitaverat, & grande periculũ in nos contorserat; illius prudente consilio, feliciùs, quàm viribus id laborantis Regni sopita, quievit. O quoties! sævus immanis Draco Orientis è cubili suo in Regnum nostrum prosiliens, Sarmatiam sibi, tanquam sacram & intestabilem devovisset! quoties florentissimum hoc Regnum cœlo duntaxat constare fecisset? & quocunq; se Bellua illa movisset, stragem perni-

ciemq; miserabilem reliquisset! ni invictus Bellator ERNESTVS, quà iter belli ad nos fuerat, quà barbarici exercitus venturi sperabantur, nè tot agmina populorum, imò Patria tota, una immitis Byzantini Tyranni offa fierent, unicus veluti fatorum obex & agger, mora & impedimentum fuisset; qui contra tantam potentiam Militiæ Polonæ Præfectus, prælijs felicibus, nō ludens, non expectans hostem, sed aggrediens & profligans, Patriam defendisset.

Iam tandem cum sanguine affectum & indolem derivari certò mihi constat, dum tam heroici spiritûs vigorem, quem in ERNESTO stupuimus, tanquam certam Sanguinis & Fortitudinis hereditatem tanquam dives meritorū patrimonium in gloriosa Sobole suspeximus. Par Filijs in bella animus, in hostem odium, in justā pacem proclivitas, æquè generosus in omnia animus; quorū alterum, FRIDERICVM, Lithvaniæ Subdapiferum, veluti belli tonitruum & Martis Progeniem, Generalem Exercituum Ducis Prussiæ; alterum ERNESTVM Castellanum Vilnensem, magno bellicæ fortitudinis auctoramento, & virtutis felici suffragio nitentem, Germanici in Patria Exercitûs Generalē, Heroëm in bella generosum, Fidei, Religionis, & Patriæ Defensorem habuimus. Acce.

Accedit non vile pretium Gloriæ, non unâ pensandum Civicâ, Labor Ille seculorum & expectatio, Regni stupor & Æstimatio HERMANVS DENHOFFIVS, qui congenitam magnanimitatē vel juventa sua tenere non valens, robur illius immensum à teneris in Sago & Toga nutriendo, nondum annis, & jam fortitudine invicta plenus, veteranorum Dux Turmarum, Exemplum Bellatorū, fortissimū quemq; prima pericula mortemq; ipsam appetere docuit. Æmulus ille Herculis viarum, & Alexandri victoriarum jactabūdus heres, Turca; cùm nullibi cōmuniorem quàm nobiscum bellandi causam habeat imperandi libidine & jactantiæ fomento inflatus, quanquam omnibus bellis ingētes barbaricæ potentiæ turmas & vix censendos exercitus in nos effuderit, sed tum maximè, non imbellibus, & arma tantùm volatica aut decorata præferentibus barbaris instructus, sed quorum quisq; Dux, & dici & esse meruerit, potentiam suam in nos impulerat; quando magna Ducum nomina duorum, alter Sarmatiæ Hector; ZOŁKIEVIVS lamentabili cæde, CONIECPOLSCIVS alter tædiosa captivitate, atrox certamen finivêre. Ita se tum, immensi populorum fluctus in nos effuderant, ut, ne dicā

 vincen-

vincendis, ſed cenſendis quoq; & numerandis vix ſufficeretur; & quanquam in paucitate noſtrorum quàm in numero barbariei virtus fuerit excellentior, ipſo tamen belli opere fracta & ſuæ pondere gloriæ ſuppreſſa, collabi debuit. Occumbebant fortiſſimi viri, non tam ictibus barbarorum, quàm ſuo in prælia fervore, inter extrema tamen, imò poſt mortem atrocem, minas & viventem audaciam, tanquam præliaturi, retinebant: quos inter HERMANVS, non Ducem, ſed aliquem gregarium, poſthabita celſitudinis ratione agens, primus inter decertantes validiſſimuſq; apparens, iſtud Hectoris ZOŁKIEVII obtinens elogium: *Vir fortis, Pignus Martis,* ſeſe in victimam Patriæ obtulit.

O quantam! Dij boni & quàm memorandam hanc Sarmatiæ jacturam ingenti numero Virorum hac de Stirpe pensârunt! Succeſſit Heres Potitorq; Virtutis GASPAR DENHOFFIVS Siradienſis Palatinus, armis & animo, bello & conſilio, utriuſq; pondere magno incomparabilis, ſanè adeò valens, ut Regum quoq; invicta pectora SIGISMVNDI & VLADISLAI viciſſet. Ille nobis ſole ab exotico Stellam ſplendidè micantem, Reginarum

Exem-

Exemplar, & Ideam, Sereniſſimam CÆCILIAM Renatam concordi VLADISLAI connubio vinctam in Throno locavit. Ille FERDINANDVM III. ita in Se Domumq; ſuã magnarum admiratione virtutum inflexit, ut gratioſiſſimus Imperator SACRI ROMANI Imperij Principatũ, Sibi, omnibusq; hac de Stirpe vẽturis indulſerit. Vitam, non gloriam, plorãda illa Cecorenſi clade, cum laborante Supremo Exercituum Regni Dictatore CONIECPOLSCIO finiverat HERMANVS: ecce avitæ heres virtutis GASPAR, ALEXANDRÆ KONICPOLSKA, STANISLAI Supremi Ejuſdem Ducis, Cracovienſis Caſtellani; CHRISTOPHORI, Bełzenſis Palatini; REMIGII, Culmẽſis Epiſcopi; & IOANNIS, Siradienſis Palatini Germanæ, auſpicato Connubio junctus; ne tantæ clara Stirpis Propago Patriæ obſequio deficeret, felicem beatumq; Filiorum Ternionem, STANISLAVM, SIGISMVNDVM, & ALEXANDRVM ſubſtituit. Quanta, quàm illuſtris, & quàm magnifica gloriæ portio illi tam felici Propagini obvenerit? ut juſtum & parem æſtimatorem habeat, in illud redire tẽpus debet, quod Tacitos aut Tullios parturijt: mihi ſufficit tantæ laudationis ma-

teries, ex Eo, qui magnitudine virtutum linguas & pectora vincens, verè Victor in Orbe Sarmatico extitit; in SIGISMVNDO inquam VICTORE DENHOFFIO Succamerario Vielunensi. Hic lucubrationi panegyricæ lumen, Musæq; ipsi jam pænè in laudis Oceano naufraganti, radiantem commonstrat Pharum, & lætũ nuntiat pæana, per Illustrissimorũ Ducũ RADIVILIORVM sonoras TVBAS, quæ Illi ad magnanimos pro Patria & bono publico suscipiendos ausus, in Cunis, excitamentum fuêre. Ille, magnarum Heroinâ virtutum ANNA RADIVILIA prognatus, illustre Orbis Sarmatici Decus geminavit. Noverat Generosũ Ejus spiritum probaveratq; Terra Vielunensis, quæ, magna Illius authoritate judicij, Legationibus prudenter ad Regni Comitia expeditis felix, post lugenda quoq; fata, Illius immortali Gloriæ litat.

Propinquat lumen aliud imbellem suadam meditanti Musæ SIGISMVNDVS Ille Bydgostensis, Sokalensis, Boleslaviensis, Boguslaviensis, Laiscensisq; Capitaneus; cujus generosus in bella spiritus, decumanorum periculorum contemptor, neglectum Illi otij, grande curarũ pondus primamq; cogitationem uni Patriæ vivere,

vere, inſpirans, totum domeſticum pretium ingenteſq; gazas, quæ tùm Genti noſtræ admirationi fuère, in Patriæ tutelam & defenſionem effundere perſvaſit. Inde eſt, quòd lectiſſimæ Huſſarorum phalanges, ignituſq; Germanicæ militiæ delectus Illius impenſis in Reip: obſequium conductus, primus hoſtem aggredi, præliū, tanquā ludum pilamq; depoſcere, dies, nocteſq; in armis conſumere, ſolenne habuerit. Æſtus, algor, inedia, itinerum longitudo, vigiliæ & irrequies perpetua, dapes Illi dulciſq; cibus fuère. O quantam boni Superi Divum Illi Generi & uni inter mortales Miraculo inſpiravère charitatem! qui, vitamq;, fortunamq; ſuam pro Patria expendens, ex amore exul, omnibus deſideratiſſimus, ſponte ſua obſidem agens, in Tauricam Cherſoneſum gratæ Patriæ ſeipſum devovens receſſit, tædioſoq; triennio captivus, Sponſor pro Laribus & focis exactiſſimus, barbaricæ exactioni lytrum expendit. Inceſſerat ethnicam barbariem non incerti periculi augur ſpiritus & juſta formido, ex ſequioris in DENHOFFIO fortunæ tolerantia & invicta fortitudine animi nata, quâ tacitè ſeſe coquens barbarus, viro ſibi formidabili, lethale toxicum propinavit. Verebatur equidem, nè crudelium contemplator a-

ctionum Heros, grande posthac Scythiæ flagellum, vastatio, & ruina fuisset. Tanto dispendio Patriæ plorando, vix suffecissent lacrymæ; nisi cœlorum propitius favor Te ipsum ô PRINCEPS! cum desideratissimo Magnorum Ternione Germanorum, CAROLO GASPARO, STANISLAO CASIMIRO, & FRANCISCO BOGVSLAO substituisset; quibus scribendis dum sese enixa applicat cogitatio, profundo quodam arcanoq; Eurippo retracta, fluctuare & sorberi videtur, pretiosum effusi sanguinis fluentum reminiscens.

Audire videor ingenti fragore tonans cœlũ, percussumq; aërem ad meas meditantis aures penetrare. Propinquat & sese præsentissimam sistit horrendis fulminibus Vienna lacerata, occurrit cõfusæ menti densissima barbarici nubes exercitûs, cui grandè tonanti, inq; Christianitatem totam fulgur & procellas vibranti, primus mihi cernitur obex, VLADISLAVS DENHOFFIVS Pomeraniæ Palatinus, Koscierinẽsis Capitaneus. Ille! Ille! contortũ exitiali & vesano furore typhonem; quem Othomanicus furor ab immani Asia, portentosa Africa, & toto terribili Oriente nutrimentum derivans, impetu magno & promisso sibi dejectionis eventu in to-

tam

tam Christianitatem excitaverat, solus, veluti Marpesia Cautes, immotus, & eo tantùm hominis naturam profitens, quòd tempestatem illam totam fugare nisus fuerit, primus hostem aggredi, vincere, & profligare. Ita in Eum Hectorē tota se vis barbarorum injecit, ut certum cladis suæ lenimen ipsius gloriosam mortem crediderit. Occubuit Laureatus Heros ea magnitudine spiritûs, quæ tota in pectora Ducum & Regis Serenissimi IOANNIS III. descendens, totius causam Christianitatis in Ipsius vindicias transvertit. Hìc mihi aliquis Parentalem sermonem sponte sua dolens, in tanti præconium Viri effundat, hìc concrepantia æra & concolorem tam tristi scenæ squallorem affingat, ut pro Eo ex professo mœrens lugubri facundia jacturam ejus explicet. Trahat sonantibus compedibus furentem Bizantij tyrannidem, impietatē, atrocitatem, arrogantiam, audaciam, tumultū, & omnium agmina scelerum uno simul nodo constricta in tanti vindicias detrimenti: computet mortes à tam impavido Heròé illatas, signa lacerata, dejectas signis cruentatas Lunas, pharetras, arcus, sagittas, contos, gladios, romphæas, acervum armorum componat in edito; ut Bellatori ex bello fastigium surgat. Mihi rem

lætam glorioſamq; inter triumphalem Tuum ingreſſum ô PRINCEPS! meditanti, blanda lætia in pennam illabitur. Mulcet equidem animum; ambroſium virtutum nectar ALEXANDRI DENHOFFII Abbatis Andrejoviẽſis; cujus grande pietatis ſpecimen in Cunis REX SIGISMVNDVS III. amplexatus, quibus totam Regni Sarmatici molem ſuſtentabat manibus, eaſdem ad Sacrum Baptiſmatis laticẽ applicando, Ipſum ex eo levavit. Nihil deeſſe ampliùs ad celſi FaſtigiumHonoris Illi Viro potuit, quem ponè gloria ſecuta ampliſſima dignitatum Subſellia ingerebat; ſed modeſtus intaminat animi de ſe ſenſus celſitudinẽ collati honoris aſpernans, omnia magnitudine mẽtis ſuæ majora eſſe reputans, privatus DEO vivere magìs elegit, quàm in ſupremo Faſtigio benignæ fortunæ favore locari. Probavit tantam Sanctitatem Viri Supremum Eccleſiæ Caput INNOCENTIVS, cui po oblato *Clericatûs Cameræ* Honore modeſtè gratias perſolvit; quem tamen ſub exotico ſole reſpuit honorem, ab eo in Patria invẽtus, Andrejovienſi Pedo & nitente Tiara refulſit. Quid aliud Luceorienſis & Camenecenſis Infulæ modeſta abjectio, quàm Sanctitatis ingens argumentum eſt? quid

clarum

clarum Divæ Virginis Claromontanæ Iugum, quàm fidele munificentiæ testimoniũ? quid Sacer Prædicatorũ Ordo ad Sacrã Gidlensem Basilicam, quàm largitionum argumentum? quid ad celebrẽ Divæ Annæ Przyroviæ Ædem Strictioris Observantiæ Patrum S. Francisci Ordo, quàm ingens beneficiorũ tessera? quid in Crusinensi Ecclesia annuus mille ducentorum reditus florenorum? quid Soborycijs dotatum prochotrophium? quàm munificẽtissimæ Illius fundationis æterna memoria est? Seris tandem posteritatibus tam venerandi Flaminis structæ reformatæq; ædes immortale Nomen loquantur.

Tu mihi præ cæteris scribendus occurris, CAROLE DENHOFF Siradiensis Venator, qui nihil non generosum pro Patria audens, asperi tyrocinia belli in Romanorum Imperatoris castris sumens, vestigio Majorum, per adversa & confragosa ad honoris augem procedens, memorandos Imperatorij Exercitûs Duces, ZVZAM & MONTECVCVLI infractæ Tuæ fortitudinis testes habuisti. Objecerat magnæ Tuæ nutrimentum virtutis bellum Imperio atrox & grave, Othomanicæ tempestas potentiæ; ecce Tu gravibus inter præliandum laboribus duratus, ita à remoto sole in Patria

 claru-

claruiſti, ut Sereniſſimi IOANNIS CASIMIRI Cor auguſtum in Tui amorem pertrahens; Germanicarum Cohortium Præfectus tanti dignatione Regis extiteris. Pulchro equidem Sanguinis & Virtutis nexu Tibi conjunctus Illuſtriſſimus GERARDVS DENHOFFIVS Pomeraniæ Palatinus, qui magno bellicæ gloriæ & fortitudinis incremẽto, pace & bello glorioſus, dextera & conſilio potens, imò ex utroq; Cæſar, ampliſſimã DENHOFFIANÆ Domûs poſſeſſionem, Decus videlicet immortale auctorabat.

Iam alioquin me ad ſummum præſentis Tui Honoris Faſtigiũ properantẽ, ô PRINCEPS! nè progrediar, immenſa laudũ materies, & rectefactorũ agmen moratur, atq; in ipſa rerũ copia aridũ difficilẽq; efficit. In tanto Aborigenũ Tuorum agmine, grandis mihi ipſi intra animi fibras concertatio exoritur: quem priùs quidve ſcribere debeam? planè ignoro. Obverſat ſeſe meditãti CHRISTOPHORVS DENHOFFIVS, Caſtellanus Vitepſcenſis, qui meritorũ plenitudine ſuorum Orbem implendo, totam Sarmatiam affineſq; terras, ſuæ theatrum virtutis habuit. In omnia potens rerũ edax tempus, Illius dũtaxat immortalibus geſtis dente rabido

noce-

nocere non poterit. Porro IOANNES DENHOFFIVS Capitaneus Starogardensis, superstite post fata famâ, suo nomine memoriã omnium adimplet.

Tot Gentium testimonium clarum, Illustrissimæ DENHOFFIANÆ Prosapiæ in Sacra Altaria liberalitas laudatorem sui non quærit. Nitet miraculis, Illustre Divæ Claro Montanæ Virginis Templum, Regijs penè DENHOFFIORVM sumptibus erecto ex marmore Sacello, armamentarijs tonantibus, ad populorũ stuporem & inauditam Majestatem commendabile. Credo sanè PRINCEPS Superûm istud esse inventum, quia Te ad nostram hodiernam felicitatem, seriùs provexerunt; sed festinationis causa defuit, cùm nobis tantum CAPVT essent daturi, quòd magnis in Regno Splendoribus cinctum, longæ nostræ expectationis coronamentum esset futurum. Splendent circum illud clara Principum KORYBVTHEORVM Sydera, RADIVILIORVM Tubæ, OSSOLINSCIORVM Asciæ, CONIECPOLSCIORVM Soleæ, CZARTORYSCIORVM Vexilla, LESZCZYNIORVM Cymbæ, OLESNIC-

CIORVM Fragrantes Rosæ, imò totus Sarmatiæ Honos tanti æstimationem Capitis adauget. Habes Magne PRINCEPS satìs supra spem modumq; Domi inventæ Gloriæ; sed dum nobis præsenti hoc Triumpho radias, ex Te major Honos. Triumphas enim in animis nostris perpetuam in illis sedem, eburneum & tanto Hospite dignum domicilium habiturus: illaberis in plaudentium corda populorum, tanquã Superûm Munus, & Cœlo demissa Progenies, cui locandæ non alius Thronus superest, quàm ebur mentis, & amoris inæstimabile pretium. Cœlestem Tuum spiritum magno Virtutum & Meritorum artificio constantem, Divinæ eruditionis Gemmã, incomparabilis prudentiæ Topazion, alibi recõdere nefas est; quàm in ea parte nostri quâ Superis æquamur.

Non Mea hæc Tui æstimatio est ô PRINCEPS! sed Ducum, sed Principum, sed Regũ. Obvenit alijs Sacratus Divini Obsequij Honos unius benedictione Flaminis, & ut Sacris Altaribus litent unũ illis Pedum sufficit; Tu, ut Sacris admovereris, celsissimo Illustrissimorum Infulatorum quaternione ad conferẽdos Ordines indigebas, ut certatim Accurrentium voto, tanquam

quam Gemma & pretiosum Monile, Ecclesiæ DEI destinareris. Præter tam ingentem cunctorum Tui cupiditatẽ, qua Te quisq; Exemplar & Ideam sibi proponere volebat: sufficiat Ocellus ille Regum, immanis Domitor Oriẽtis, Orbis Terror, Catholicæ fidei Columna; Serenissimus IOANNES III. qui Te veluti pretium inæstimabile Augusto suo in pectore recondiderat. Equidem commendaverat toti Christiano Orbi ardentem vestrum pro Ecclesia DEI zelũ Divus INNOCENTIVS XI. qui IOANNEM CASIMIRVM DENHOFFIVM cum profligatæ Othomanicæ superbiæ signo, Vexillo inquam Legatum ad Se expeditũ Cardinalitio Murice decoravit.

Diu satis expectatum est ô PRINCEPS! tempus, in quo liqueret, Te præsentem hunc Triumphum non accepisse, sed nobis dedisse. Confugit in sinum Tuum supplex Diœcesis, ut post geminatam suam jacturam in dulce tandem solatiũ apud Eum quiescat, qui ante Pontificalibus Tiaris coruscus, & totius Orbis curas versans, illius esset Triumphator. Gaudemus magna dignatione fortunæ, quòd nobis post dulcem SZEMBECIANARVM Ro-

ſarum fragrantiam, CAPVT verè Aureum Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum, D. CASIMIRVM à LUBNA ŁVBIENSKI, Suffraganeum; Virtutum Encyclopædiam indulſerit: ecce ad tanti pondus negotij, Te nobis Auguſtum CAPVT alterum, tanquā ad gaudij & lætitiæ incrementum redonavit. Planè conſtat, corda populorum PRINCIPVM eſſe Majeſtatem; cùm longa ſatis noſtra deſideria ſolo duntaxat amore Tui explentur. Sed hîc non incerti præſcia Muſa eventûs, vates eſt; quia Te nobis deſideratiſſimum Antiſtitem Præmyſlia, cujus hactenus Paſtorale Pedum geſſiſti; Poſnania, Principem & Prælatum; Vitovia, Abbatem olim ſuum; nobis invident.

Vt ut eſt; mora hæc, quam Tibi Patriæ amor, Honorum affluentia & Regni cura huc uſq; indixerat, amoris noſtri experimentum fuit & Tui materia. Quippe cùm magnitudine noſtri deſiderij ex abſentia Tui torqueremur, creſcentibus in dies votis & comprecationibus noſtris, hoc tandem in meriti coronam ſumus conſecuti, ut tantò impenſiùs nunc à Te præſente diligeremur. Ergo Diem hunc Tuum Triumphalem mihi triplici celebrare gaudio expedit,

pedit, quo me eadem Tecum ô PRINCEPS Desideratissime! pagina accepit, & nomen exile magni Tui occasione Triumphi, quam ipse vultu serenas, luci publicæ dedit: pro quo immenso beneficio, hoc Tibi æternæ gratitudinis argumentum rependo, quod audaciùs Tibi veritatem loquar. Nonne tot tantisq; meritorum splendoribus circumfusus, pridem istud Fastigium fuisti meritus? Longa id Tua cum modestia pugna, quâ Te ipsum ita serò vicisti, causa est: Manet manebitq; pro hoc, isti Honori Tuo Veneratio solennis, interq; prima encomiorũ Tuorum ponemus, quòd optimis Principibus amissis Te meliorem fuerimus sortiti; cujus pedibus Præsuleis in Orationis exitu, imbellis Musa mea allabens, Præsidem Custodemq; populorum DEVM pro rebus Ecclesiæ atq; Te præcipuè deprecatur: ut maximis Tuis in Rempublicam meritis & beneficijs faveat tantoq; Tiarati Honoris Fastigio addat perpetuitatem: ut autem plantis Tuis ocyùs advolet, alteram pennam movet. Rubet equidem pallescitve ad Tui Muricis fulgorem accedens; sed hac varietate coloris indicat difficilem Tui laudationem. Si in tam perplexo encomiorum Tuorum tractu erravit; Tu ipse pro Tuæ immensi-

cate gratiæ ô PRINCEPS! triplicem fuisse causam interpretare; prolixam Alti Tui Sanguinis seriem, rerum quas gessisti magnitudinē, & præsentis Triumphi, innumerabile, quo constat, Magni Senatûs, Nobilissimorum Quiritium, mistiq; populi, ad tantam felicitatem tanquam ad optatum à seculis negotium accurrentis agmen: cui profundiùs immista, semitas potiùs quàm Regiū iter in laudibus Tuis eligens facilè errare potuit. Altum est, ad quod enititur; quia Fastigium, quia Apex: unde, ne Phàëtonteum sibi obveniat supplicium, veretur: sed quicquid evenerit, in Tuæ laudis argumentum ô PRINCEPS! transibit. Oceanū Nobis in hac laudatione Tui effudisti; in quo, cùm multa ingenia naufragantur, Tui immensa magnificētia exsurgit. Sorbemur inviti libētesq; quia magnitudine solēnitatis Tuæ rapimur, & Tu porrigis dexteram. Indignū est ut tantum Orbis pretiū incompta Musa mea cōtingat; ideoq; trepidis volucribus usitata formidine expavens, avolat. Agit pro incremēto plausûs, ut pernice penna sua novos de Te à Principe Orbe rumores adferat.

Quicquid de Te Divi benigni Romuleusq;
Senatus consilij sumpserit; hac ex exigua pagina collige.

FASTI.

FASTIGII TIARATI HONORIS APEX

TRINAS TRIUMPHALES

PORTAS

Ingredienti CELSISSIMO PRINCIPI
ab Apolline Novodvorsciano Erectas

SUSTENTANS.

MUsa per immensumTe librans æthera, pennæ
Iungas remigium & felicia vela secundæ!
Iupiter Omnipotens! & blandi carminis Author!
Atlantisq; Nepos! & Turba diserta Sororum!
Subsidiô, nutante Dea, dextrisq; favete!
Finibus Hesperiis reducem fert altera penna.
Magna petit, majora manent sed vestra petentem
Munera, quæ coelos miscent, quæ carmine terras
Extollunt, æquantve Deos mortalibus altos.
Sederat ad rapidi spumantia littora rivi
Istulei, sed adussit Eam quis nescius ardor
Stare loco, magnusq; pudor latuisse triumpho
Possedit, pennasq; leves super æthere fixit.
Illa pavens, trepidosq; vibrans ad littora vultus

 Sue-

Sueta suos, voces alto de pectore prompsit:
Quò feror, o Pæan! qua me super æthera raptam
Constitues statione, precor! jam cernere Calpen
Hesperiam videor, Vaticanumq́ cacumen!
Auribus insonuit clamor, quem, pinnifer Ossa
Thracius à Borea decusso aût robore tollit,
Aût rediens iterum Sylvæ remeantis acutus
Attollit sonitus: trepidum modulamina Numen
Idcirco tacitis animi concludere fibris
Cogor ego, finemq́ novi spectare theatri
Astrorum medio sidens: usq́ aurea flamma
Longiùs arripuit flexam, super ostia Tybris,
Ausoniosq́ oestus, Amphitritenq́ sonoram,
Atq́ super vada rauca vehens, Latiæ Regionis
Septenis turgente jugis in Turre reliquit.
Eximium mirata decus, primùmq́ nitorem
Hausi oculis Urbis, celsi fastigia Tecti,
Regalesq́ Domos, Ædes Divûmq́ frequentes
Lustravi, & Veteris nutantia rudera Romæ;
Et quà se incipiunt molli subducere colles
Tarpejumq́ jugum pandò demittere clivo,
Solicito librans hæc omnia lumine, dixi:
O Musis habitanda locorum! o Numine digna
Laurigeri Phoebi Majestas! gloria dextræ
Artificis felix! Solium geniale Sororum!
Tollite Castaliam crystallum; tollite montis
Belle-

Bellerophontei gemmantes fontibus undas!
Tybris erit nostræ Tybris nunc gloria curæ!
O nimiùm dare posse Deos! non omnibus æquum
Cur terris tribuisse decus similemq; nitorem
Mens fuerat vobis? aliis? sed præripit alter
(Et dubito quinam Ille Deus) nam qualiter altâ
Se vibrans Sol nube micat, pellitq; soporem
Illunis nigroq; polos texentis amictu
Noctis, & Ille suos protunc ita pandere vultus
Ceperat immensa succinctus stante caterva.
Ast Honor Ille fuit virtutum & festa Corona
Tam radians, quàm Sole comas laxante polorum
Sunt nitidi flexus: tanto se fulgure texit
Illa Cohors. Cracidos Genius nec defuit illic
Tristè dolens, laxāsq; comas lacrymisq; madescēs.
Sic PINI jactura gravis, sic trina rubentis
Atq; ROSÆ facies alto de corde dolores
Vrgebant, fatò Illa suô; ast Hæc Punice tincta.
Ad vultum Divi procumbens Præsulis ergo
STANSLAI justè suspirans, talia fatus:
O meritis damnata meis Vrbs! grande dolentûm
Nunc antrum! carcerq; gemens! o tempore longo
FASCIA! non seclis, non deploranda caducis
Momētis, tristi MAŁACHOVIî Præsulis horâ
In lacrymas aptata meas! & florida PINVS
DĄMBSCI Amortiferi luctꝰ quæ est unica testis,
Atq;

Atq; recens oculis moestas torsisse querelas
Sola potens fuerat! binæ istæ gaudia festa
Ruperunt tristesq; mihi sudêre procellas.
O ter Sancte Parens! Genitrix ô Diva TO-
NANTIS!
Cælestesq; animæ! rebus succurrite lapsis!
Vngves sacrilegos optat temerare nefando
Ille LEO nisu, qui quondam Limina celsa,
DIVE Tuosq; Lares vastavit Bustaq; Sacra.
Iam rugit & rauco succendit bella fragore:
Suecus & Hunnus erit Sacrorum prædo Tuorum,
Si Pater Alme Tuis precibus nunc flectere Divos
Desistes sacramq; Manum submittere plebi.
Fletibus hæc altis commissa negotia pandens
Emicuit lacrymis commota madentibus eheu!
Majestas LATII, qualem vix credidit Orbis.
Namq; propinquavit Comitū celeberrima Turba
Qui Lituos Sacros, & Qui radiantia Lanæ
Ex humeris fudêre suis, circumq; steterunt.
Maximus ast fuerat, trinis signata Coronis
Cûi se porrexit Frons, Phoebo clarior ipso,
Et chlamydi texto Phrygiæ spectabilis auro;
Ampliùs è sacro quid corpore panderet Ipse?
Naturæ pudor ille fuit. Nam tota celebris
Artis erat cura & memorabile pondus Honoris.
Ille videns flexam, trina surgenteq; Turre

Indo-

Indomitoq; ſimul firmatam milite collum
Tunc Vmbram Cracidos, ſacras ad Præſulis Almi
Projectam plantas, precibus DIVVMq; moveri;
Intendit totas animi per ſortia vires.
Quid ſibi ſingultus, lacrymas quid cogeret udas?
Extemplo in placidas lapſa eſt ſententia mentes,
Conciliô ſociare animas grandemq; Senatum
Canitie nivea, Patres, hinc, inde locare;
Quorum pars nitido rutilans fulgeret in Oſtro,
Cardinei radiaret item ſplendore Galeri;
Et pars purpureo violas imitata Colore,
Concretum ſabulum collò monſtraret Hydaſpis,
Præſuleasq; Cruces appenderet: Ordine certo
Sic diſtincta Patrum ſunt agmina, Mytraq; multa;
Fuderunt ignes crebros tunc, Iaſpide puro,
Sapphiris, adamante ſimul flammante rubentes.
Præſuleas inter ſed Princeps Martyre Noſtro
Mytra refulgebat, facilis cûi principe Sella
Conceſſus Primatis Honos, data prima poteſtas.
Ergo Pontificum Præſes pro Sedibus inſtans,
Pulſatos precibus coelos flexumq; Tonantem
In medium profert; miſeræ miſeratus & infit
Sarmaticæ Gentis Clemens DEVS, & pia vota
Suſcepit populi, quæ caſto pectore paſſim
Sunt infuſa polo: tantarum mole malorum
Tellurem fractam cupiunt jam Numina celſa

Solari, meliore modo moerentia corda
Lactando: Qui triste jugum, mucronibus hastas
Permistas, arcusq; truces, densasq; sagittas
Threicias passi; quos monstris barbarus Afer
Finibus à Libyæ deductis, quos Asiarum
Spectra nimis torsêre diu, Byzantia Luna
Noctibus extremis involvere nisa; perinde
Intonsos Cilicas, Caramanos, Cappadocesq;
Phoenices, turbamq; trucem crudelibus armis
Fundendo in Lechicas terras, coelestibus Aris
Ignes Mulciberi Siculos tremulasq; favillas
Immittendo; pij sed pectoris interjectu
Gens Superis jucunda nimis, hos sustulit ictus:
Majestate DEI niteant ut Cardine toto
Ignibus accensis Orbes, Summiq; TONANTIS
Trinus Honos Matrisq; DEI fulgentior astris
Astra super tendat nullo delebilis ævo
Gloria, Coelituum Nomen per secula regnet.
Heu quantum Superis decus! heu & gloria quāta
His cecidit bellis! quantus cruor imbribus exiît
Largifluis! quantum terrarum flumine tanto
Sanguinis extendi potuit! quem Numina Sacra
Vester sumpsit Honos, quem Sarmata pectore fudit
Pro Cruce CHRISTE Tua Salvator, proq;
MARIA.
Omnipotens hoc vidit opus, votumq; precantûm,
Quo

Quo coelos pulsare pius non destitit unquam
Moerentis populi coetus, magè poplite flexo
Procubui * stratus sub Majestate Tonantis,
Et miseræ Gentis Patriæ singultibus ortas
Extenuans voces, quantùm mihi suasit in Orbem
Sarmaticum pietas, fervorq; in pectore quantùm:
Sisteret Omnipotens Rector fulgentis Olympi
Stillantes lacrymas repetito funere Magni
Præsulis; & recreet fulgor radiante Tiara
Iam populos: scabiosa cohors & ovilia sacra
Non temerare queat! cedat sub tartara falsi
Dogmatis ingluvies! patulis quæ rictibus orbas
Aurato Lituo gentes intendit & ambit
Consumpsisse, Pater Coelestis! maxima Cleri
Agmina despicias nunquam, sublimibus Arcis
Sedibus æthereæ mittas sed Præsulis Almi
Vittam, quæ meritò coelo dignissima, terris
Fulgeat in Craciis: concors hæc atq; locutus
Sanctorum coetus, vastæ qui præsidet Vrbi
Et populis sperata suis solatia præstat.
Ecce Pater terræ, coeli moderator & alti
Annuit, ut Nati Successor prodeat, atq;
Fundat ab auge sua fulgur flammante Tiarâ;
Murex Sidonius Speculum sit gentibus illis.
Hæc ubi Præsuleo manârunt ore sacrato
Vrbis Romuleæ Majestas tota perinde

* Oratio S. Martyris & Episcopi STANISLAI.

Se tulit in varios tractus, auroq; coruscis
Curribus invecta est, diversas quisq; sub ædes
Vt meditentur opus mirabile deliciarum.
In tacito latuêre diu sancita nec ullus
Insonuit rumor DEVS (est mirabile dictu)
Mentibus ingessit cunctis concordia vota:
Flamen namq; sacrum cujusq; in pectore fixit
HocCaput in Latijs frontē quod Purpura cinxit
Ordinibus quondam, puro præstantius auro.
Spumeq ast Aper ille fuit, DENHOFFIA Stella
Qua Stirps clara nitet, soli Martesq; creantur;
Hunc Patrum sacer Ordo sibi concordibus ipse
Elegit votis, nec quidquam præpete fama
Res spargente novas, donec sententia tota
Mentibus in variis hærens congesta fuisset
Ædes in Solij sacras justumq; Senatum.
En ubi Majestas sanctissima vota reposcit,
Haud quidquā in varios tracta est sentētia sensus,
Ast uno velut ore simul fluxêre precantûm
Voces, certatim longævam ducere vitam
Optantes, magnumq; decus virtutibus altis
Vt fundant Superi voverunt ordine passim.
Hæc mea Musa diu cùm plenis auribus hausit
Atq; oculis, oblita sui per devia gressûs
Quà remeare queat? quàm festinante volatu
Et Lechicis laribus rumores ferre loquaces?

Igno-

Ignorat, Phoebumq; vocat solamen in arctis
Ecce suis rebus, Titan! fer præpete dextra
Suppetias, humeroq; Tuo surgentia saxa
Me super hinc referas, ardor mihi pectora torret
In Patrium remeare solum visosq; Latini
Anfractus Orbis speranti dicere genti,
Et species rerum, quas appendente Senatu
Romuleo audivi: tunc Cynthius ore venusto
Alloquitur Musam: Soror Alti conscia Montis
Me meus ad Cracias deduxerat entheus oras,
Adstipularer ego Magno BISONTIS Honori;
Thura Dijs cùm prima daret LVBIENIVS, atq;
Cum cultu populis gemmatam vertice Vittam
Monstraret, Sacrumq; Caput sub tolleret auras,
Coeli Progenies, ut coelum candidus Ipse.
Hujus ego Lituum Sacrum primamq; Tiaram
Poplite sum flexo veneratus, justaq; laudum
Officia exsolvi, nec tantum Numen Honoris
Nosse fuit tempus, nec plausus ferre triumpho.
Tum Soror ad Phoebum; cupiens depromere dictis
Quæ sibi per Latias oras Suprema Potestas
Detexit, mollem in voces componere linguam
Instituit, dixitq; priùs sub tecta Tonantis
Vultum versa suum; non est fas dicere Divi!
Prodere lætitiam populis quàm sponte monetis;
Se tamen hæc poterit non condere cordibus ullis,

 Dul-

Dulcia jam pro qua cecinêre oracula Musæ.
Quod plausûs genus ô Superi! qua mente paratis
Gaudia fessa Craci (nimiùm plaudendo) Trionis!
Multorum sat turba frequens convenit in unum
Festorum ecce diem, quo me Tu Phoebe relictam
Ausonia tellure novam crevisse dedisti
Nunc faciem rerum? niveus cûi Ordo Senatûs
Præluxit, spondendo Lechis Cracidiq; relictæ
Proxima felici cum Principe gaudia Mitræ.
Hæc ego: sed video Cynthi pernicibus alis
Æthera sulcantem multoq; colore nitentem
Vmbram sive Deam, qualem fusam ære sonanti
Crediderim: sic namq; fremit vocesq; resorbet
Quas per inane tulit, totum repetitq; quod audit:
Nec tamē (ut credo) est clamor, sed murmura vocis
Qualia Nerei longè laxantur ab undis.
Censeo, quòd Fama est, sed non cōmenta vagātur,
Millia rumorum non circumstant leve Numen;
Non est Credulitas, non est temerarius Error,
Non est Seditio, desunt auctore Susurri
Cum dubio; Famam Comites qui stare feruntur
Circum; nuda latus, famulatur nec sibi quisquam.
APRI *cerno* CAPUT, DENHOFFIA *Stēmata, dextra*
HASTAM læva tenet, quòd tāto Principe Gētes
Sarmaticæ ante Aras fundent sua vota calentes,
Dicit, & inclamat. Noster labor ô Heliconis
Præ-

Præſes Dive perit Nobis! perit & meditatûs
Rumor, quem primo Cracio deferre Trioni
Optabam! Iam Fama levis ſuper æthere ſparſit,
Et tulit in Lechicos fines, quæ Roma peregit.
Solers quæſo Pater, cûi tellus Delphica prono
Vertice, ſe ſternit celeres rogo concute pennas,
Me refer, & Sacro Vavelli monte repone,
Triplice gemmatâ Regum ſplendente Coronâ;
Principis ALBRACHTI *valeā luſtrare triūphos*
Et celebrem pompam, circumſtantesq́ decores.
En ubi fatidicum Numen ſua carbaſa pandit,
Meq́ ſuper montana tulit, tunc Iſtula præceps
Intumuit, veluti ſi cæruleis ſua Tethys
Impletura foret longè majoribus undis,
Verticibus ſummis poſitum muniminis ingens
Prodigium; ſic unda ſuo eſt è littore mota:
Oceanus nam lætitiam ſub gurgite magno
Expreſſit, vexitq́ ſuam per flumina Turbam
Nereîdum Phôciq́ choros ad dulcè canendum
Inter feſtivos greſſus tam Principis Almi.
Sic denſis rediens ego me miſcere catervis
Libertate carens, medias accedere Portas
Et populi turmis confundi ſortè coacta,
Contremui: Nam fulmineus clamor populorum
Corda ciens ivit magnâ ſuper àëra voce,
Turrigeræq́ Vrbis plateas implevit amœnas:
Ivit & à plauſu Templorum ſupplice pulſus

Cum voto, resonavit ovans per gaudia coelum,
Miscuit & turbas populi strinxitq; phalangas;
Quas inter decepta vias (erroribus acta)
Implevi varias, donec pia Numina Musæ
VLADISLAVIANO redeūtes Vertice, dextrā
Prendentes, tacitis me gressibus obvia passim
Agmina linquentem duxissent, atq; triumphi
Monstràssent Arcus, Portas, & festa Trophæa:
Trina supersuerant hæc, magnis sumptibus acta
In sublime Jovis, puro deducta metallo,
Ingenij solius opus mirabile sane.
Huîc ego tam celebris pompæ subnixa theatro,
Me me felicem! dixi: Parnassia Turba
Composità pennà cûi justas scribere laudes
In commune suum duxerunt Numina carmen.
Laudibus ergo meis componite vota Coronam,
Quæ populus supplex sparserunt vocibus altis:
Splendeat ut Regno Celsum CAPVT, auxiliūve
Prætendat rebus semper solenne futuris:
Hæc DOMUS *in Phrygijs resplendens rite columnis*
Æternos Soles, Mitras numeretq; Tiaras,
Gemmiferū frontis Decus ut CAPUT *ambiat istud,*
Perpetuò famuletur Honos, & subdere collum
Fama suum lætô queat ut sub PRINCIPE *vultu,*
Inspergatq; rosis sacri vestigia Currûs:
Ad PORTAS ego prona sedens suspiria claudo.

ILLVSTRISSIMÆ DENHOFFIANÆ DOMVS

VENERANDÆ RELIGIONI

PORTA PRIMA,

AD AVSPICATVM INGRESSVM

MAGNI PRINCIPIS,

ab APOLLINE NOVODVORSCIANO

EXSTRVCTA.

Egregium instituite Triumphum Camœnæ!
Magnâ se pompâ & solenni Majestate infert
RELIGIO.

In arcu supremo portæ micantes arcus & machinæ,
Bellonæ solennitas est:
Sacris his Postibus captivos Currus curvasq; Secures,
capitum cristas, spicula, vel Clypeos
aut ereptarum rostra carinarum, non appendite!
Illorum iste Triumphus est:
qui in quadrijugis Curribus stantes
flexo poplite Duces captivos sub pedibus tenent.
Illis suspendantur gravi trunco fragmina bellorum,
qui cæsorum Diademata Regum, ad magnitudinẽ trophæi congerũt;
quorum manus calente hostium sanguine fumant.
Octavios, Decios, Pompeios, Iuliosq;,
victricis Romæ grande Senaculum
iste decet apparatus:
ubi veneranda Religio in sacras Divorum ædes invehitur,
sidera micantia cœlumq; ipsum, in apparatum Triumphi aptari debet.
Principum Mitræ, Imperatorum Clavæ,
Regum Sceptra & Coronæ,

 Pon-

Pontificum Tiaræ, gemmatumq; Pedum,
Annulus Major, auratæ Claves,
& trino vertice turgens, cœli instar meridiani resplendens TIARA,
Summi PONTIFICATûS Insigne,
prælucere debent;
ubi Magnorum STIRPS Illustrissima REGVM triumphat,

DENHOFFIUS,
PRINCEPS,
ANTISTES.

Huc Cytharas,
huc molles cantus & blāda murmura vocū in dulcē colligite cōcentū!
omne cœlum & omnis àër plausibus altis resonet!
Eviscerata medullitùs harmonia, in solennis pompæ auctoramentū,
ita demum diffundatur,
ut ad Septicollem allisa prisci Vrbem Quirini
blandam remittat Echum.
vestris, ô lectissima Corona Sororum!
concentibus illecti
SACRI FLAMINES,
Tota Veneranda Cleri Majestas,
omnisq; Populus,
celebrem Triumphum exornans

MAGNI PRINCIPIS
ANTISTITIS

magnitudine lætitiæ, cordiū medullas & fibras animorum titillante;
Io! magna voce Triumphe! canat.

ILLV-

ILLVSTRISSIMÆ DENHOFFIANÆ DOMVS

INVICTÆ FORTITVDINI

PORTA II.

Pone Cytharam Phœbe!

ponè PRINCIPEM grande HEROVM agmen sequitur.

Desine blandos cum Musis cantus!

classicum Mavortium aures undiq; implet.

Cerne Magnorum numerum Heroum!

Exercitum dices

REGVM, PRINCIPVM, IMPERATORVM numero constantē:

sed acutos nimium non intende oculos,

ne tantæ fulgor Majestatis sensum lædat.

Et quia Tuis tam Augustæ Pompæ cantibus placere non vales,

in Tuæ imbecillitatis pænam, sume pennam.

Ex Viris, Virtutes lege, & scribe.

PORTA hæc, tanto Catalogo scribendo non sufficit,

Magno *SIGISMVNDO DENHOFFIO*

SOKALIENSI CAPITANEO,

Magni *PRINCIPIS* Genitori;

ZBIGNEO & *GEORGIO*, *OSOLINIIS*;

ANNÆ FIERLEIOWNA,

PALATINIDI CRACOVIENSI, MARESCHALCIDI REGNI;

PROAVIS, MATERNIS;

ISABELLÆ, NICOLAI DANIŁOWICZ,

SVPREMI THESAVRARII REGNI

FILIÆ,

Clypei Illius Sarmatici, *IOANNIS III.*

AFFINI:

ANNÆ TERESSIÆ

S.R.I. PRINCIPI, DVCI in Osolin, CANCELLARIDI REGNI,

SERE-

SERENISSIMORVM PRINCIPVM,
IACOBI, CVNEGVNDÆ
ELECTRICIS BAVARIÆ,
ALEXANDRI & *CONSTANTINI*
AMITÆ,
Magni *PRINCIPIS MATRI;*
CASIMIRO OSOLINIO, SUBDAPIFERO,
& *FRANCISCO MAXIMILIANO*,
VEXILLIFERO, DROHICENSIBVS,
ASCIÆ OSOLINIANÆ Magno Fulgori,
IOANNI OSOLINIO,
ABBATI VITOVIENSI,
ſcribendis ſufficiat;
ut in PORTA hac Magno IVBILÆO Triumphali,
ſub PISCATORIS ANNVLO
tanquam in Libro Vitæ tanta NOMINA deſcripta,
æternam habeant immortalitatem.
ARRAGONIA, PORTVGALLIA, HISPANIA,
CASTILIA, FRANCONIA, POLONIA, atq; LITHVANIA,
debitam ſuam ſubſcribant Venerationem,
quòd hoc de Germine Divûm præſidium habeant & tutelam.
Non deſit tantæ felicitati
ILLVSTRISSIMVS HERACLEÆ PRÆSVL
CASIMIRVS à ŁUBNA *ŁVBIENSKI*,
SVFFRAGANEVS CRACOVIENSIS,
Sed Gentilitij Sui BISONTIS adjuncto CAPITE
geminet lætitiam & Triumphum.
Diſcant Fortes, *quàm ſit illuſtre, naſci fortibus & bonis,*
& Aquilas prognatis Aquilis ſemper ſub Sole verſari, quàm ſolenne?
Ampliùs profitere Cynthi!
tibi ſcribendi vim deeſſe;
ſed cum Iulio Cæſare Seipſum ſcribat
DENHOFFIVS,
& ſecula triumphabit.

ILLV-

ILLVSTRISSIMÆ DENHOFFIANÆ DOMVS
IMMORTALI GLORIÆ
PORTA III.

Nunc, si quid Vestra carmina possunt Sorores!
flectite fata: si fatorum in omnia potestas.
Romulum nobis primum triumphi inventorem restituant.
Ille,
non super proceram quercum, rudem pastorum victimam;
sed super hanc,
immortali Gloriæ *DENHOFFIANÆ*
assurgentem PORTAM,
decentem paratum consingat, & affigat.
Collocet, non unius Statuæ honorem,
sed quæcunq; possunt cogitari triumphalia ornamenta.
Præsentis lætitiæ Theatrũ, non uno cõstat laudis & victoriæ artificio.
Si Domina rerum, Caput Latialis Imperij Roma,
pro quinque millium hostili exercitu profligato,
triumphi honorem decernebat:
Triumphus hic, magno Regnorum devictorum numero pretiosus,
exantlatis pro Ecclesia DEI laboribus & curis illustris;
non decerni, sed magna veneratione coli debet.
Huc triumphãs RELIGIO thura Sabæa purumq; liquoré admoveat;
cristata, & generoso supercilio minax FORTITVDO,
ramum dexterâ tenens, ut tranquillæ arbitria pacis interpretetur;
virente lauru revincta, ut palmares victorias significet;
armillas, & serana pictæ Togæ aulæa è brachijs effundens,
ut copiosi pro Patria sanguinis effusionem indicet:
Civicas, Murales, Navales, Vallares, Myrtheas, Obsidionales,
Laureas, Gramineasq; Coronas acervet,
ut immortali GLORIÆ grande trophæum exsurgat.
Demum, socius ipse Gloriæ Honor,
spontaneo famulitio assistens;
instar meridiantis cœli relucens;

 Ebur-

Eburneam hanc PORTAM Vmbonibus & Galeis adornet,
& Sacratæ Poteſtatis ſigna adijciat;
ut diſcatur:

à DĒHOFFIO PRINCIPE ANTISTITE
triplicem Triumphum inſtaurari.

Sed Vos! ô caſta Numina Heliconis!
Si cantibus veſtris non ſufficitis,
Nyſeidum Phorciq; Choros jungite.
Illæ Aquilas volucres & picta Draconum colla ferendo
plauſibus vos adjuvent:
Nos, pro Benigno

PRINCIPE ANTISTITE

dabimus Divis thura benignis;
ut Illi
Læta Triumphanti de ſummo Mater Olympo
Plaudat, & appoſitas ſpargat in ora roſas.

CRACOVIÆ,
Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL S.R.M. Ord: Typ:
A.D. 1701. 9. Octobris.